FRANCISCI

NOVELLI NOBILIS ROMANI Iuris V. pfessoris Fisci Ro. Procuratoris, Panegyricus ad illustrem & excelleñ Victoriam Columnã, Aualam Piscariæ Marchionissam: Vbi de Diuo Thoma ex comitibus Apuliæ oriundo, Aquini nato, deq; illustribus Columneñ. Aualis, & alijs clarissimis viris pulchra q̃ plurima videri possunt.

CONSTANTINVS CELEctus Francisco Nouello Patritio Ro. Iu. V. Doct. & Fisci Ro. procuratori.

Tam claras clarosque simul matresque virosque
Hæc nisi Francisci non daret vlla manus.
Nam quis tam paruo potuisset scribere libro,
Tot memoranda virum, tot bene gesta domus.
Arte manus totum pictoris pagina mundum
Vt dat, Franciscus sic dedit ista noua.

Scipio Bongallus, Abbas Fiani.

Mutua quis debere neget, genera omnia laudum?
Dominicoque Thomã, Dominicumque, Thomæ:
Alter enim excidit, Fidei. Alter ad astra Columnam.
Vt nouus erexit, Amphitrioniades:
Vnde pius totum nobis patefecit Olympum:
Vera docens, veras & reserauit opes:
Virtutum hæc maria aspectans, sulcanda Nouellus
Sumpsit naue noua, remigibusque nouis.
Hæc est cana fides: hæc est sapientia cana:
Quæ tantis lucem scit dare materijs.
O factum, Romane pium: sic Roma solebat
Fortia præclaris concelebrare modis.

Statius Cecchius.

Es si nobilium veteri de sanguine cretus,
Non es tu generis causa, sed illa fuit.
Si tibi longæuam dederit natura senectam
Prodiga, sunt superi grandia facta Dei,
Si tibi præstat opes laxis fortuna Lacertis,
Ex alto veniunt sydere diuitiæ,
Sed quod sis sapiens, varioq́ in carmine vates.
Hæc tua perpetuo gloria sola manet.
Docte Nouelle diu viuas, qui rara reponis,
Auxilio quibus est gloria, splendor, honor.

H. Britonius

Hunc colit & merito vocitat sua Roma Nouellum,
Cum patriæ Aeneadum tot noua dona ferat.
Hactenus historiam, claret qua Thusca propago.
Deq̀ sacris Pileis texuit vtile opus.
Plurima nunc Romæ, claræq̀ Neapolis affert
Facta Ducum in medium, Semina & alta canit.
Cur hic non fœlix? vno qui tempore debent,
Thuscia, Parthenope, Patria, Templa, Duces.

Fratris Hieronymi Bordonij à Sermoneto, Ordinis Minorum obseruantiæ, ad egregium virum patritium Ro. Franciscũ Nouellum vtriusq́ue Iuris Doctorem.

Quicquid ab antiquo passim, simul vna vetustas
Hactenus eripuit, quo celebramus auos.
Stegmata, Facta Ducũ, Titulos, Monumẽta, Triũphos
Virtutesq́ue Sales, Nomina, Sceptra, Domos.
Egregios fama proceres vel fortibus ausis
Numine, More, Toga, Relligione, Fide,
Eloquium, Latiumq́ Iubar, Sanctissima legis
Scitaq́. Cæsareum iusq́ue piumq́ probum.
Tu renouas Francisce tuo vir culte Nouello
Ore simul, calamo, Limpidiusq́ue facis,
Vidi elegos, epodosq́ue tuos . tot scripta soluto
Pollice. mira canis, doctaq́ue verba rigas
O te fælicem, loqueris (sic omnia calles)
Tam belle, vt dicas dicere Pyerides
Te negat esse fides mortalem, nomen auitum.
Ingenium, Probitas, Patria Roma, chelis.
Plus sophiæ quid Achiuus habet te? quidue magiæ
Niliacus vates? Ausoniusq́ue melos?
Flamine pulsa graui facilis tua currit auena
Rura, vel arma canas, Cyprtacum ue iugum

Grandiloquo interea ſpatiatur proſa meatu
Hinc paradoxa nitet, mel fluit, inde sophos.
Sentio quod ſcribo : Scribo quod ſentio prorſus
Nondum equidem didici diſsimulare. Vale.

Iterum ad Eundem.

O cui nata Iouis comes, Aonidumq; corona
Delius aſpirat, donat Anubis opem
Interpres legum. Pariter tutela, paterq;
Iureq; fiſcali ſignifer vrbis. Aue
Romulidum Franciſce decus, qui ſtirpe Nouellus
Diceris. Hinc toties tot noua dona paris.
In laudem conſcripta Thomæ, monumentaq; diui
Valde opus egregium, ſunt mihi viſa tuum
Expetis ingenij quæ ſit ſententia noſtri
Ars tibi dicendi eſt, copia, iuſq;, modus
Auctat adinuento vires Res ipſa, decuſq;
Rurſus adinuentum rem facit eſſe grauem
Docta cothurnati ſimilant confecta Maronis,
Interea vel quod Meonides cecinit.
Siue quod Arpinas Latia conflauit in arce.
Rimatur linguæ, dum ſata mopſopiæ
Sis fœlix, ſæruſq; voles ad ſydera Diuum.
Præſentem vt ſit fas cernere, teq; frui.

FINIS.

AMPLISSIMO IN CHRISTO PAtri & illustri Domino Vincentio Carrafæ. tt.s.Mariæ in Transtyberim presbytero Card. honoratissimo, Franciscus Nouellus Ro.V.I.professor, fi. Ro.procurator, compater fœlicitatem.

PAnegyricum a tempore quo Imperatores Græci Apuliam & Calabriam amisere vsq; ad tempus Adriani Papæ .vi. quem dum Mareni æstiuis feruoribus mitigandis morarer, de Diuo Thoma Aquini nato ex comitibus Apuliæ oriũdo Colũnensibus. Aualis. Oliuerio tuo Carrafa & aliis illustribus viris ad illustrem & excellentem Victoriam Columnam Aualã Piscariæ Marchioniss. dedi. Cũ Oliuerius Cardinaliũ oĩm quot sunt quotq; fuere decus, gloria, splendor, ac totius Ro. ecclesiæ ornamentũ, uiua q̃dẽ & immortalis imago, ordinis diui Calaguritani Dñici protector & defensor maximus fuerit: Diuiq; Thomæ adeo deuotissimus, vt in sacello testudineo pictura, aliysq; ornamẽtis decorato a se, Diuo Thomæ in æde Diuæ Mariæ ad Mineruã dicato, eius uenerandũ corpus condi statuerit, & ibi in pace quiescat. Et tu huius sacri senatus sydus prælustre, compater meus sis q̃ maxime venerandus: Tuq; tuiq; oẽs in diui Thomæ ob singularẽ deuotionem illũ maxime obseruetis, & hic noster panegyricus ab aliquibus, literatis q̃dẽ viris, bibliopolis, religiosis Diui Dominici ordinis præsertĩ ac aliysadeo exquisitus, expostulatusve fuerit vt illum ad imprimendũ iam denegare non audeam, in laudẽ tãti sanctissimi viri, domus Colũnẽsium, Aualæ, aliorũ & tuæ, in aspectum, lucemq; proferat, vt tuis tanden auspicijs imprimatur. Vale Cardinalis dignissime & c. pater venerandissime bonarum literarum amator.

FRANCISCI NOVELLI NOBI lis Ro. V. I. Professoris. Panegyricus ad Illu. & Excellent. Victoriam Columnam Aualam Piscariæ Marchionissam.



VAMVIS Illust. & Excellent. Domina rogatus à nonnullis ex tuis, ut aliquid de Diuo Thoma Aquinate scribere, melius fuisset ob mei ingenij imbecillitatem tacere, quam pauca & inepta de tam doctissimo & præcipuo Ecclesiæ lumine dicere. Tamen ut illis morem gererem, quæ ex scriptis aliquorum doctorum uirorum collegi, ad te mittere decreui. Ad hoc me impulerunt quamplurimæ uirtutes, quæ in te excellunt & eminent: seruitusque uetus mea & alia multa, ut ex infrascriptis cognosces. Diuum Thomam Aquinatem, diuinum hominem, angelicum doctorem aliqui originem duxisse ferunt ex comitibus Aquini, aliqui uero ex comitibus Apuliæ. Sed nos qui quam plurimas doctorum uirorum historias ab inclinatione Imperij uidimus & ante, quæ intrantibus in Galliam Ghotis, & Romanam Vrbem irrumpentibus, facta est paulo ante quam Diuus Hieronymus græce, latine, & hebraice eruditissimus & elegantissimus ex uiuis decederet, Honorij

Diuus Thomas.

Vnde traxerit originem Diuus Thomas.

Ghoti.

Diuus Hieronymus.

Honorius & Archa-

dius Imperatores.

& Archadij Imperatorum temporibus, quibus etiam Diuus Augustinus Honorij amicissimus, egregius physicus & mathematicus. rerumque diuinarum ac disciplinarum omnium thesaurus maximus in humanis agebat. Si Platinæ uero historico, facundoque oratori credimus, quod hic sanctissimus Thomas ex comitibus apuliæ originem duxerit, ut in uita Vrbani. PP. IIII. scriptũ reliquit, & Marco Antonio Sabellico Poetæ, Historico & oratori celeberrimo. Ennead. sua nona. libro sexto, circa finem. quod Aquini Thomas ortus ab Apuliæ Comitibus oriundus fuerit. & alijs claris Historicis, qui de eo scripserunt. Putamus illum altius radices ex hoc illustri genere egisse. Quia uetustioribus temporibus supra millesimum Christianæ Religionis annum iuxta antiquas historias Imperatores Græci Apuliam & Calabriam tenuere, & ab inde postquam illas amisere, usque ad tempus Diui Thomæ alios Comites Apuliæ fuisse non inuenimus, præter Normandos, qui non solum Comites Apuliæ fuere, uerum Calabriæ Duces, Siciliæ Reges, & aliarũ multarũ prouinciarũ gentiumque potentes Dñi, titulisque multis, honoribus, fortunis, & copijs maximis, supra millesimum ducentesimum annum á Christi incarnatione honestati floruere. Vt igitur propitiante Deo, in hoc nostri Panegyrici aditu, & quasi uestibulo, hac elegãti quæstio-

Diuus Augustinus Honorii amicissimus.

Platinas.

Apuliæ Comites.

Marcus Antonius Sabellicus.

Imperatores Græci Apuliam & Calabriam tenuerunt.

ne horum Normandorum uetustatem, ex quibus secundum Platinam, Marcum. Ant. Sabell. & alios, Diuum Thomã Aquinatem uerisimiliter originem traxisse auguror, in tam longissima temporum antiquitate & tractu adamussim, usq; ad ipsius Diui Thomæ tempus habeas. Sciendum est q tempore Gregorij. V. Max. Pont. qui de Cæsaris Imperatoris Augusti electione sanctionẽ tulit. Christi annno millesimo secundo, quo magna fames Italiã afflixit, Michaele Catalaico apud Constantinopolim imperante, & Calabriam, & Apuliam de Italia tenẽte. Siciliam Saracenis prementibus, in uiuis fuit Tancredus Normandus, cui bisseni fuerunt liberi. Sarnus uidelicet, Gothfredus, Mathildis mulierum clarissimæ maritus, qui Lucam in Ethruria. Parmam. Regium. & Mantuam in Lombardia, & terras, quæ nunc sancti Petri patrimonium appellantur possidebat. Droco, Tancredus. Guilhelmus Farrabac. Gunfredus. Malagerius. Robertus cognomento Viscardus. Rogerius. Alberedus. Gothfredus. & Frumentinus Farrabac. Guilielmus Farrabac eo tempore Ethrurie partem & totam Romandiolam possidebat, quia ut consentinus Archiepiscopus tradit, à Romandiolæ Comitibus originem duxerat. Gothfredus cuius uxor Mathildis fuit Droconi fratri in Apuliæ, Calabriæq; Ducatu successit. Moriens

Gregorius. V. Papa.

Michael Catalaicus. Imperator Græcus Apuliam & Calabriam possidebat.

Tancredus Normandus bissenos habuit filios.

Mathildis.

Consẽtinus Archiep̃s.

Gothfredus in Apuliæ Calabriæque Ducatu successit.

autem Bcgelardum filium successorem instituit, quod
Viscardus Apuliam Calabriamq; accepit. Robertus cognomento Viscardus ægre ferens: nepote per arma pulso, Ducatum Apuliæ, Calabriæq; accepit: Troia adiecta. Post Aberardam uxorem, ex qua susceperat Boemundum, alteram duxit Sigellardam Sisulphi Principis Tarentini ex Guaimaro fratre neptẽ
Tarentini princeps.

Hic magnum Normandorum exercitum tunc Pontifici maximo concessit, per quem Prænestini, Tusculani, Numentini rebelles domiti sunt: & Galeria aliaq; Castella usq; ad Sutrium deuastata. Apud Lateranum tempore Alexandri Papæ. II. Gothfredus & Mathildis Cadolũ Antipapã commisso prœlio superauerunt.
Alexander Papa. II.

Mortuo Gothfredo Mathildis Azonem Marchionem Estensem, qui Gothfredi consanguineus fuerat, sibi in quarto gradu coniunctum, ignara uirum accepit, tãdem re cognita matrimonium separatum est. Post Viscardus Romam intrans, eam regionem quæ inter Capitolium & Lateranum est deuastauit. Capitolium ui cœpit, Castri Crescẽtij muros disiecit, succesiue ad Imperium Cõstantinopolitanum aspirans, cum filius Boemundus terrestrem satis haberet exercitum classem ingentem parauit, & Alexium Græcum Imperatorem & Venetos superauit, cui absente Boemundo Rogerius natu minor in ducatu Apuliæ succesit, & præter Siculos Itali patri subditi paruerunt, quo tempore
Azo Estensis Marchio
Alexius Imperator & Veneti superati.

toto

toto in orbe maxima fuit fames. Expeditione in Saracenos parata, anno quarto & octuagesimo supra millesimum, multa præclara facinora gessit, & francorum Regis filiam uxorem duxit. Boemundo mortuo, filius ex Constantia uxore successit, sub Tancredi nepotis cura relictus. quo mortuo Tancredus Anthiochiæ principatum obtinuit. Sed ne longius spaciemur, non immerito putamus Diuinum Thomam ab his traxisse originem. Cum tempore Vrbani. IIII. Max. Pont. ipse Diuus Thomas matura ætate in humanis esset, anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo secūdo, & Platinas & alij scribunt originem ex Comitibus Apuliæ duxisse. Hic uir mirabilis supra hominem, cognita fama Alberti magni Theutonici, fratris ordinis prædicatorum (quem magnum ob doctrinæ magnitudinem appellabāt) Coloniæ legentis, relicta patria, insigniq; cognatione, Coloniam pergens, tantum sub Alberto profecit, ut aliquos post annos, primum apud Parisienses in doctrina tenuerit locum. Floruit tempore Alexandri. IIII. Max. Pont. & Vrbani etiam quarti. Patrem habuit Landulphum perantiqua & nobili iam dicta familia Comitum Apuliæ, Aquini (cuius Dominus erat) ortum. Matrem autē Theodoram Parthenope nobili genere natam. Fratres uero Landulphum & Arnoldum, uiros armis strenuos & excellen. &

Tancredus Antiochiæ principatū obtinuit.

Diui Thomæ Aquinatis origo.

Vrbanus Papa. IIII.

Diuus Thomas sub Alberto magno profecit.

Landulphus D. Thomæ pater & Aquini Dominus.

Theodora Diui Thomæ mater.

Landulphus & Arnoldus. D. Tho. fratres.

Diuus Thomas sorores duas habuit.

sorores duas pudicitiæ exemplaria: sanctimoniaque quam maxime uenerandas. A dicto Vrbano accersitus, spretis dignitatibus, diuina quadam potius quam humana eruditione. Tantum fuit eius doctrinæ & sapientiæ robur & stupenda Sanctitas, ut totum se Theologiæ & philosophiæ studijs tradens scolam Romæ instaurarit, & multa Vrbani rogatu scripserit, totamque pene philosophiam naturalem & moralem cōmentationibus exposuerit. Contra gentiles librum edidit, declarauit & Iob. Cathenam auream contexuit. Librū de corpore Christi composuit, quo in opere ueteris testamenti figuræ continentur. Summam diuinā & quidem celeberrimam fecit, & multa alia conscripsit, ut merito Doctor angelicus nuncupetur: & ecclesiasticarum institutionum, & diuinarum rerum Sacrariū cēseatur & haberi possit. Sanctissime uixit, ociosus nō fuit, doctrina & bonitate plenus, omne tempus perire existimabat, quod cælestibus contemplationibus, diuinis officijs, sacrisque litterarum studijs non impartiretur, Christi passionem ante suos oculos sæpius habebat. Tantus fuit eius erga crucifixum Christum Deum charitatis & amoris ardor, ut cum Neapoli ante Christi Simulachrū, quod cruci affixum pendebat, contemplaretur Christi passionem & illud sibi uiuere uideretur, diuinitus simulachrum, ingenti quodam illustri

Diuus Thomas ab Vrbano Papa quarto Romam accersitur.

Diui Thomæ opera.

&

& celebrando miraculo diuina uirtute, & potentia eidem (vt dicitur & aliqui scripsere) loquutum fuerit. Mirum fuit, quod Christus Seruator noster & verus Deus, in forma Crucifixi Diuo Francisco Vmbro, admirando quidem viro tanto cum fulgore apparuerit. & illum quinque stigmatibus insigniuerit, sed mirificissimum fuisse videtur, vt ligneus Crucifixus huic etiam sancto viro loquutus fuerit. Quo difficilius, eo praeclarius. Ab hoc quasi beatissimo Diui Thomae scatenti bonorum operum fonte, qui inter sacros Theologos & sanctos viros clarissimum meruit nomen, multi docti viri fluxere, & tanquam ex equo Troiano prodiere. Obijt in monasterio apud Priuernates, sanctissimumque eius corpus in Galliam delatum, apud Gallos honorificentissime quiescit. Et ab Ioanne xxiij. Max. Pont. in sanctos relatus est. Oliuerius Carrafa amplissimus pater & illustrissimus, olim meus Dominus quam maxime venerandus, illustri ac nobili familia, honoratissimus Neapolitanus Cardin. cui lux luceat sine fine, Romanae ecclesiae ornamentum, Caesarearum legum & sacrorum canonum cognitione clarissimus, sacris literis & omni doctrinae genere celeberrimus, qui patriam tot praeclaris operibus & vitae integritate illustrauit. Romae monasterium fratrum praedicatorum apud Mineruam restituit, dictorumque fratrum domos

Ligneus Crucifixus D. Thomae loquutus.

Diuus Franciscus Vmbrus.

Diui Thomae mors.

Corpus diui Thomae in Galliam delatum.

In sanctos ab Ioanne xxiii. Thom. relatus.

Oliuerii Carrafae laudes & opera.

Monasterium fratrum praedicatorum apud Mineruam.

ibidem vicinas, pie ad ipſorum commodum & ſuſten-
tationem refecit. Apud templum pacis Canonicorũ re
gularium ſancti Auguſtini monaſterium, magna im-
penſa, ſingulari præſtantia ſtruxit. Eccleſiam ſancti
Laurentij extra muros Vrbis auratis laquearibus &
alijs ornamentis decorauit. Aedes inter Parionis pla-
team & Agonem, quas in ſplendore ſui Cardina-
latus habitauit, reſtaurauit & auxit. In exquilino col
le apud marmoreos vulgo caballos Praxitelis & Phi
diæ conſpicua opera, binas ædes magnificentiſſime ad
animi (æſtiuis temporibus) honeſtã relaxationem, fer-
uoribus mitigandis, erexit. quibus amplas pomiferas ad
iunxit vineas, cum amœnis viretis, multo cultu & or
dine paratis, vnde Romã ſpectare licet & Romæ
colles. In monaſterio Minoritanorũ D. Franciſci Sera
phici optimæ obſeruationis, quod eſt in ciuitate Tibur
tina, cernũtur clara opera. Alia auita, paterna, ſacra &
ꝓphana ædificia ꝓprijs pecunijs ampliauit, reſtituit,
& varijs in locis fecit. Ob ſingularem in ipſum Di-
uum Thomam deuotionem Romæ illi in æde Diuæ
Mariæ ad Mineruam teſtudineũ ſacellum multis in
dulgentijs præditum dicauit, & egregia pictura alijſq;
ornamentis exornauit, vbi propria Oliuerij imago ad
perfectam ipſius ſimilitudinem cernitur, quod veterũ

Canonicorum regulariũ s. Auguſtini apud templum pacis monaſterium.

Eccleſia s. Laurentii extra muros laquearibus & aliis exornata.

Aedes inter Parionis plateam & Agonem

Binæ ædes in exquilino colle.

Pomiferæ vineæ cũ amœnis viretis.

Diuo Thomæ ſacellũ teſtudineum dicauit Oliuerius.

instituto, quotannis stato die à Cardinalibus adiri solet, & solemni missa in dicta æde cantata, de laudibus tanti sancti luculentissima habetur oratio. In conspectu, & huius sacelli opposito, supra Diui Dominici sacellum cernuntur spectabilia & excellentia organa miro opificio, Oliuerij impensa fabricata, suis nobilibus insignibus decorata. Est & in ipso monasterio librorum repositorium Oliuerij impensa factum, quod magno librorum in omni genere scientiarum numero, sua etiam pecunia emptorum, refertum est. Erat enim ille optimæ Religionis Diui Calagoritani Dominici, quæ prædicatorum dicitur, beneficentissimus & diligentissimus protector & fautor. Diebus proximis fui miratus, dum ille Religiosus de Gifono, cœlestis doctrinæ & verbi domini concionator coram Domina Ducissa Talliacotij matre tua, & tua excellentia, de animæ immortalitate concionatus est, dictum Diuinum Doctorem non allegauit, qui de animæ immortalitate magna ingenij subtilitate, acumine & conspicua quadam doctrina disputauit & scripsit. Miracula dicti sancti viri & quamplurima alia hunc in locum congerere non grauaremur, ni peruulgata essent, & frequentius lecta, tum etiam non inaudita, & ideo à nobis breuitatis rationem ha-

Organa spectabilia Oliuerii impensa fabricata.

rationem habentibus, repetenda non erunt prolixitate sermonis. Sed propter affinitatis necessitudinem inter hanc Diui Thomæ familiã & Aualam generosam, excellentemq́ progeniem, cum qua Domus tua Columna inclyta propter te habet affinitatis coniunctionem, merito illud venit pacto aliquo non prætereundum.

Affinitas inter diui Thomæ familiam & Aualos.

Quod cum tempore Alphonsi senioris Aragonum potentissimi Regis & diuini Principis ex dicta illustri Diui Thomæ familia, Antonella non modo generis nobilitate clara, verum quam plurimis virtutibus ornata, præstanti forma, in flore ætatis superesset. & Aenecus Aualus nobili Hispania oriundus, illustriq́ familia ortus, auratus eques, regni Siciliæ magnus Camerarius, apud Alphonsum maxima auctoritate polleret, vt nulli laude secundus esset, ob generis claritudinem & egregias eius virtutes, fœlici auspicio Aenecus Antonellam vxorem duxit, & tantam Diui Thomæ familiam, affinitatis & beneuolentiæ vinculo sibi coniunxit. Ex quorum matrimonio natus est Alphonsus, ex alio autem filio Alphonsi fratre hic præsens Vasti Marchio magnæ indolis, rei militaris specimen. Alius eodem patre natus cœlebs fuit. Habuit Aenecus filias, quarum vna nupsit Io. Iaco. Triuultio, bello & pace, nostra ætate clarissimo, Mediolani bellica virtute & nobilitate primario, Altera vero Neapoli

Alphonsus Aragonum Rex potentissimus.

Antonella ex D. Thomæ familia.

Aenecus Aualus apud Alphonsum authoritate pollens Antonellam uxorem ducit.

Ex Aeneco & Antonella nati sunt isti.

tano Regulo, & magno quidem domino matrimonio iuncta est. Ex hoc Illustrissimo genere superest pudiciciæ & honestatis exemplum Constãtia illustrium Neapolitanarum Dominarum splendor, gloria, decus, honor, Francheuillæ honoratissima Ducessa. Iam dictus Alphonsus forma & moribus peregregius excellentis ingenij, summæq; virtutis, Vir rei bellicæ sciẽtia, animi magnitudine atq; omni laude, rebus domi militiæq; gestis clarus, paternæ virtutis emulus, qui in Piscariæ Marchionatu succedens, & in regni Siciliæ magno Camerariatu suffectus, vxorem duxit Dianam ex illustri & antiqua Cardona familia, corporis pulchritudine, venustate, & pudicissimis moribus peregregiam, ex qua ortus est hic illustrissimus & excellẽtissimus Ferdinãdus Franciscus haud dubie nobilissimus & amabilissi. Piscariæ Marchio, magnus etiã Camerarius, Comes Bellicastri comes Loriti, copiarũ pedestriũ in regno Neapol. magister, præfectus & moderator, nitor & splendor Aualæ domus, corporis formositate, singulari ingenio, suauibus & optimis moribus, alijsq; virtutibus auo & patri quam simillimus, vt auum & patrem referre & representare videatur, quem tibi victoriæ Columnæ maritum Deus bonorum omnium author fæliciter associauit, & iunxit vtriq;. Certe ad coniugij dignitatem nihil deest.

Ferdinãdus Frãcisc.

Affinitas inter Colũnensem familiam & Aualam.

Cum & tu antiquissimo Columnensium genere orta sis, toto terrarum orbe, tempore, opibus, rei militaris disciplina, potentia, viribus, multisq; præclaris gestis tum domi tum foris nobilissimo, gñosa prosapia, præcipua elegantiq; progenie, ex qua Diuus Martinus. v. oĩs virtutis pater, in concilio Constantiensi, pura, syncera & incontaminata electione ob eius singulares & excellentes virtutes, sapientiam, doctrinam, pietatem, summam integritatem, morum & vitæ sanctitatem, Cardinalium omnium graui maximoq; consensu, ac omnium nationum concordia, vna omnium voce, ad maximam gloriam, summumq; Pontificatum iudicatus, euectus & acclamatus est, Anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo decimo septimo, tertio Idus Nouembris, præter omnium opinionem & spem, cũ iam ecclesia quadriennio vero caruisset pastore, tanta cum lætitia, vt præ gaudio homines vix loqui possent.

Diuus Marti. PP. v

Quamobrem Sigismundus Imperator Cæsar tanta lætitia, ac sanctissima electione effusus est, vt nullo habito Dignitatis suæ respectu cõclaue ingressus, gratias omnibus egerit, q tm̃ virum & tam necessarium Rei pub. Christianæ, Ecclesia pene extincta, delegissent, & ante Pontificem prostratus summa veneratione eius pedes osculatus est, quẽ contra Põtifex amplexus non secus ac fratrem in pretio habuit, eiq; gratias egit,

Sigismundus Imperator lætitia maxima propter Põtificis electionem effusus est.

q͞p sua opera, tandem Ecclesiæ Dei pax reddita esset. Hic Max. Pontifex generosi spiritus, non ad ocium, voluptates, effrenatam cupiditatem, sed ad virtutem, gloriam & negocium natus, nullum verbum tam crebro in ore habebat, quam Iusticiæ nomen. Genezani adhuc Martini pictura cernitur, supra palatij gradus, qua iusticiæ imago repræsentatur. Illius sermo semper sententijs plenus fuit, in conferendis beneficijs sine Simoniæ crimine, mira vtebatur prudentia. Eius tempore fœlicitas & Octauij Augusti pax terris reddita videbatur, quo omne scisma vndiq; sublatum est. Multa præclara opera fecit. Vrbē excoluit & exornauit. Fuit etiam vir in aduersis constantissimus. Litteratorū & bonorum oīm receptaculū, & talis q͞p eius veras & integras laudes lingua mortalis explicare non posset. Ex hac etiam tua illust. clarissimaq; familia fluxere amplissimi Cardin. Ioannes Columna primus, vir prudentia, doctrina & eloquētia singularis. Anno Christi .M. CC. XIIII. ab Honorio. PP. III. Cardinalis creatus, & ad res Asiæ cōponendas legatus missus, legationis munus egregie & fœliciter exequutus est, quo tpe D. Dn̄ici ordo ꝓbatus & confirmatus fuit. Alter Io. Colūna a Ioanne xxij. Max. Pontifice ob domus splendorem & eximias eius virtutes, in Cardinalium numerum ascitus

Octauii Augusti pax terris reddita.

Cardinales amplis. ex Columnensi familia fluxere & alii viri illust.

mirifice claruit, quo tempore Diuus Thomas Aquinas (vt diximus) in sanctos relatus est, anno Christianæ Religionis millesimo tricentesimo vigesimo secundo. Petrus & Iacobus de Columna Cardinales quoque fuere scientia & literis docti, magni animi, consilij, ac rerum experientia eruditi, prudentes & cauti. Hic Iacobus Cardinalis ecclesiam sanctæ Mariæ Maioris restituit. Prosper Columna iam dicti Diui Martini ex fratre nepos, candidissimi ingenij, iusticiæ, æquitatis & modestiæ, ac magnæ virtutis Vir magna cum laude florentissime vixit. Io. Cardinalis Columna à Sixto IIII. Maximo Pontifice Cardinalis delectus, corporis dignitate, alijsque virtutibus inclytus, tantæ fuit bonitatis, humanitatis, prudentiæ & modestiæ, vt in Senatu apud Pontifices & patres sui temporis ac principes & omnes gentes maximæ authoritatis fuerit. omissis alijs antiquioribus & maioribus, qui ante dictum Ioannem Cardinalem, quem primo loco descripsimus, fuere. Transimus Petrum & Stephanum seniores, & alterum Stephanum Iacobi Sciarræ patrem, Vrbis primarium, summæ authoritatis virum. Transimus & alterum Iacobum. Transimus & ipsum Sciarram Iacobum acutissimi sagacissimique ingenij, animi ingentissimi, virum egregijs artibus insignem, prudentem, & rei bellicæ haud inexpertum, quem Platinas in vita

Clemen

Clementis Papæ. vi. Petrum nominat, sed nos qui vetustissimum vidimus instrumētum, in quo Iacobus Sciarra inscribitur, Sciarram Iacobum dicimus. Transimus & alium Petrum & Nicolaum, aliosq́ ante & post dictum Sciarram vetustiores & alios nostro tempore recentiores, illustres quidem viros qui naturæ debita persoluerunt, quorum fama cognita est. Præterimus & Paulam ipsius Martini sororem. Victoriam Columnam, aliasq́ huius fœlicis domus hac vita functas, clarissimas fœminas, virtutum omnium & pudicitiæ exemplaria. De Iordano & Laurētio Martini fratribus, illustrib. viris, virtutis & prudentiæ singularis aliqua dicentes. Iordanus Salerni princeps sine prole moritur. Laurentius tres habuit filios, Prosperum. Cardinal. quem supra nominauimus. Antonium almæ Vrbis Præfectum, & Adoardum Tallicotij Ducem, Albæq́ Comitem, viros authoritatis magnæ, in omni genere probitatis clarissimos. Antonius tres habuit filios, Ioannem tertium Cardinalem de quo supra mentionem fecimus. Prosperum Traiecti Ducem illustrissimum Vespasiani patrem. Petrum Antonium, Marci Antonij patrem, sua & maiorum virtute omni laude dignum. & Hieronymum Pompeij præsentis amplissimi Cardinalis patrē. Adoardus genuit Laurentium Oddonem Protonotarium Apostolicum

Martini PP. v. fratres & illorum filii.

Fabricius Columna & eius laudes præclaraq; facinora.

excellentissimi ingenij virum, magni animi & cogitatus acrimonia eminentissimum. Ioannem Iordanum & Fabricium Patrem tuũ Talliacotij Ducem, Albæq; Comitem ac regni Siciliæ magnum Comestabilem, cuius tam ingens uiget fama, tanta gloria, tantum nomen, vt mortuus non videatur, sed per gloriam & famam viuere, in quo tot resplendebant virtutes perspicua solertia, acumen, iudicium, sapientia, prudentia, conficiendarum rerum celeritas, vigilantia, fortitudo, magnitudo, amplitudo, liberalitas, benignitas, frugalitas & integritas maxima, vt non auro, non pretio, neq; minis vnquam corrumpi potuerit, in quo omnis fuit fides, militaris exercitationis omnium summorum Ducum peritissimus & Italiæ Decus, magnis gerendis rebus per strenuus & excellentissimus, vt propter eius singularem fidem, præclara facinora & animi magnitudinem, maximis in Italia honoribus functus fuerit, vt alter Romanus Fabricius qui Pyrrhi & Samnitum muneribus, neq; pollicitationibus corrumpi potuit, merito habeatur & censeri possit, & quia vt tua excellentia scit, Compater meus q̃ maxime honorandus fuit, & illius memoriæ plurimũ debeo. Cogor aliqua de eo scribere & quidem breuiter, ne nimium iam nostra crescat oratio. Hæc viua & immortalis Fabricij Columnæ genitoris tui imago, à teneris (vt dicitur) vnguicu

lis clarum de se specimen ostendens, primis littera-
rum elementis operam dedit, & a quodam Martino
de Pileo prima facile hausit litterarum rudimenta. Pue
ritiam egressus tantum profecit, vt accuratas episto-
las componeret. Maior factus armorum fulgore accen-
sus, auunculum Iacobum de Comite clarissimum armo-
rum Ducem adiuit, vt militari disciplina ab eo erudire
tur, quem Iacobus secum in expeditione illa pro Ferdi
nando Rege in Ethruriam ducens, in hoc primo tiro-
cinio, sub tantæ expeditionis Duce, tantum eius cura
& diligentia bellicis artibus imbutus profecit, vt iam
cognitionem rerum militarium pene habere videretur,
taliter quod ob indolis altitudinem ibidem magnam lau
dem assequutus fuerit, & magna nominis celebritas de
eo incipere cœpit. Fuit enim omnium vigilantissimus,
& animi magnitudine ad arma promptus, nō cibis ex
quisitis, neq; vino delectatur. In omnes facilem, le-
nem, humanum, benignum, liberalem, & diligen-
tem se exhibebat, vt a Iacobo præter affinitatem
mirifice diligeretur. Sanctissimæ semper fuit fidei, libe
ri & altissimi ingenij, & quantum dici possit inui-
ctissimi animi. Breuis fuit staturæ, sed robusta
& conuenienti membrorum compactione forma-
tus: facie & aspectu grato, naturæ fuit talis, vt
frigus atq; etiam calores non timeret. Ad

iram tardus, nulli detrahebat, multos pecunia iuuit, & muneribus prosequutus est. Vixit ea ætate paruo contentus. Reuersus Iacobus cum Turcæ Hydruntum premerent, & Fabricius Iacobum auunculum illuc euntem sequeretur, Alphonsumq; Calabriæ Ducem salutaret, Alphonsus illum amplexus est, vbi strenue se gessit. Omitto quæ Nursiæ gessit, & quæ ad turrim Triuilglani. Qualiter cum Carolo Francorum Rege Christianissimo se gesserit, non ignoratur. Dum sub Ferrandino Neapolitano Rege militaret in loco (qui Atella dicitur) strenue se & laudabiliter gessit. In agro Tiburtino apud calcis fornaces pariter. & qualiter illustrissimum Carolum Vrsinum Mareni tractauerit notum est. Apud Cerignolam egregie & animose pugnauit. Ad Gaurianum Gallis deuictis & fusis, superfluum esset recensere. In castris a Rauenna non procul qualiter animose, intrepide, & egregie, dum Leo in splendore Cardinalatus, pro Iulio Papa secundo legatum gereret, & inter ecclesiam & Gallos ardentissima bella vigerent, in tanto acri certamine, & tanta occisorum hominum clade & strage, vbi omnia humano madebant sanguine, terga nõ dedit. Alia eius præclara facinora, aliis in locis gesta, ne prolixiores videamur, scribere superuacuum duximus. Senex factus sumptuose conuiuatus est, honesta & munda

supellectili contentus. Neapolitanos fraterno dilexit affectu. Ambitiosus non fuit, propter quod patris loco ab omnibus habebatur, & quantus fuerit, eius exitus demonstrauit. Homo Germani nominis amantissimus, Hispanici pariter. Neapolitanorum defensor maximus Hunc Neapolitani omnes obseruabant, & tantam cũ Baronibus catenauit amicitiam, vt inter eum & illos quædam fraternitas esse videretur. Ciues inter se discordantes reconciliabat, & ad concordiam eius authoritate reducebat. Frequẽs ad eius ædes Baronum Neapolitanorum & ciuium concursus habebatur, omnes ad illas veluti proprias ventitabant. Neapolitanorum mores breui ita didicit, vt Neapoli natus videretur. Aliorum insignia vel picta vel celo scalpta, ex oppidis arcibus, & locis, quæ recuperauit, vel quomodocunq; acquisiuit, deleri vetuit. Mira fuit huius hoĩs fides, non vulgaris diligẽtia & ingeniũ. Oẽs suos cogitatus ad fidem & gloriam referebat. Catholicus Hispaniarum Rex suis virtutibus delectatus, eum Tessa donauit. Cum indies illius fama augeretur & gliscereret, magnum regni Siciliæ Comestabilem creauit, & alijs honoribus honestauit. Nullum laborem Fabricius neq; periculum pro honore detractauit, Inter alia cum illustrissimus inclytus & gloriosus Princeps Alphõsus Estensis, Eerrariæ Dux, verbis Fabricij in Vrbem ad

Alphonsus Estẽsis Ferrariæ Dux inclytus.

Iulium secundum Max. Pont. venisset, & post aliquot dies perspicuis indicijs suspicaretur verisimiliter ne Iulius Alphonsum insectatus comprehēdi iussisset, & arctius vinctum in molem Hadriani duci, & in carcerem coniectum loco munitissimo custodiri. Fabricius iure datæ fidei id non ferens, Alphonsum in ædes suas apud Apostolos noctu duxit, & in tanto extremo periculo, & summa difficultate ac discrimine, propter paratos armatos milites ad Ducem capiendum, eadem nocte, inuitis portarum Vrbis custodibus, Alphonsum Marenum validissimis viribus perduxit, vbi honorificentissime eum excepit, & in Ferrariam fidissime & tutissime comitatum reduci curauit. O mirabilem & inauditam vsque in hanc diem Columnij Fabricij fidem, factum illustre memoria dignum. Pro honore multos etiam labores & pericula impigre suscepit. Magnus fuit eius animus & fortitudinis robur, Omnibus Aragonum Regibus, Principibus & gentibus æque gratus & charus, Amplissimis honoribus functus, in amplissima ciuitate Neapolitana defunctus magna exequiarum pompa, & honorabili impensa, quæ ad præclarissimum funus præstari potuisset, funeratus est. Frequentissimus Neapolitanus populus & fere omnis defunctum extulit, Barones omnes & cum his Neapolitanarum illustrium quidem Domina

Mira fabricii Columnensis fides & factum illustre.

Neapoli moritur & funeris pompa.

rum nobilitas omnis & claritas Fabricium honestauit, & luctu tota ciuitas cōpleta est, de quo funebris luculentissima habita fuit oratio. Fabricius Columnensis mortuus non videtur, cuius tantum nomen honosq; manet. Fama eius superstes semper erit, & inextinctum eius nomen per longissimum viuet æuum. Omnia de eo complexus non sum, multa plura supersunt, quæ omittimus. Quid dicam de auo tuo Friderico Vrbinatiū Illustrissimo Duce, qui præter eloquentiam & humanitatem, quamplurimas virtutes & corporis & animi, rei militaris scientiæ principatum sine controuersia, suo tempore obtinebat, adeo vt omnibus ætatis suæ Ducibus, armorum & exercituum Imperatoribus superior haberetur, in quo consilium in agendo non defuit, in conficiendis rebus celeritas, & in iudicādo prudentia, vt priscis illis summis viris, cunctis Imperatoribus, artibus & virtutibus comparari possit. In hoc homine tanta sapientia & rei militaris disciplina fuit, vt Ferdinandus maior Neapolitañ. Rex illius semper arduis in rebus, consilio vteretur. Transeo illius doctrinam, aliasq; præclaras virtutes & præclara facinora. sub isto etiam tanto Duce Colūnius Fabritius educatus strenue & validissime militauit, & magno in precio taliter charus fuit, vt Agnesinam mulierū illustris. ꝓpriā filiam sibi ob miras eius virtutes vxorē dederit

Fridericus Vrbini Dux illust.

Guido Friderici filius

Guido Friderici filius in Vrbini Ducatu succesſor, paternæ virtutis emulus, doctisſimus princeps, cuius paterna librorum ſupellex luculentisſima fuit, in quo oẽs paternæ virtutes repreſentabantur. Si filios non habuit fama ſibi filia ſemꝑ, erit & gloria quæ tum ex eo, tum ex Friderico patre remanſerunt. De mortuis dicẽdi materia non deeſſet. Matrem habes Agneſinam, viraginem illust. ex qua Aſcanius Columna, frater tuus natus eſt, Talliacotij Dux, Albæq; Comes, Regni Siciliæ magnus Comeſtabilis, generoſus adoleſcens tot & tantarum patris rerum geſtarum heres, in quo illa viua Fabricij paternæ probitatis imago refulgere videtur & virtus, quiq; in hac ſua ætate, præclaraq; indole, veluti bellicis artibus imbutus clarisſimum de ſe ſpecimen oſtendit, a parentibus auis & abauis nobilitatem referens. Materteram habuiſti Ioannam Feltriam de Ruuere, iam dicti Friderici Ducis filiam, & Agneſinæ matris tuæ ſororem, Franciſci Mariæ almæ Vrbis præfecti, & Vrbini nunc Ducis matrem, qui copiarum militarium clarisſimi exercitus illust. Dominorum Venetorum Imperator eſt magni animi, vir iuſtisſimus quidem, Friderici aui exemplo bellicæ diſciplinæ magiſter, honeſtatis amicus, turpitudinis hoſtis, fidei maximæ. Pompeius Cardinalis Columna ingenij acumine, animi magnitudine, procera ſtatura

Agneſina Friderici filia & Fabricii uxor.

Aſcanius Columna

Ioanna Feltria de Ruuere.

Franciſcus Maria vrbis præfectus & Vrbini Dux.

Pompeius Columna Cardinalis.

vir,

vir, cuius supra meminimus. Adde Prosperum Traiecti Ducem iam dictum, insignem virtute virum, Columnensis familiæ ornamētū, quo maxime illustratur, rei bellicæ gloria, acri consilio, animi excellentia, armorum exercitatione, maturitate, consilio, aspectu, sapientiaq; clarissimum, cordatissimum virum, quo nemo iustior, nemo modestior, nemo continentior. Exemplo Martini semper iusticiam seruauit & coluit. Inter hunc Fabricium tam mutua pietas & animorum similitudo fuit, vt ipse & Fabricius, patrueles veri Germani fratres viderentur, vnius mentis, vnius animi, vt non maiori concordia & pietate Castor & Pollux fuerint. Vterq; armis excellentissimus & domi & foris clarissimus, & si ex his duobus vnus effici potuisset, nihil ad rem militarem natura perfectius edidisset. Quem autem istorum præferas difficile esset. sententiam ferre, quoniam æque oīm iudicio laudantur Prosper ita se cum subditis semper prestitit, vt propter eius iusticiam, & humanitatem subditi ei sempiternam fœlicitatem precentur. Accedit Marcus Antonius Columna, Petri Antonij filius, belli fulgur, qui patrem & Prosperum patruum, corporis dignitate, magnis virtutibus & laudibus, ac Fabricium representare videtur, quiq; iuuentutem suam non in ocio, sed asperis militiæ laboribus solertissime transegit, castra &

Prosper Traie. dux.

Marcus Antonius Columna.

militarem disciplinam sequutus, animi fortitudine, vigilantia, iudicio, rei militaris scientia, maximas sibi laudes comparauit. Sequitur alter Prosper Columna Marsiæ Dux, vir aspectu amabilis, integer & æque bonus, honestatis & bonorum amicus, malorum hostis, prudēs, liberalis, generosi animi, atq; benignus. Mutius etiam Columna strenuus quidem vir nō omittendus, q apud Florentinos & alibi laudabiliter se gessit, nec alter nouus Sciarra armis spectatus & æque strenuus. Ne verbis prolixioribus rapiamur, tacemus iuniores, qui veluti flores in hac tua florentissima domo elucescunt, & armis & alijs virtutibus splendent, recentiora huius inclytæ Columnensis familiæ lumina. Sed iam vela retrahamus & ad Ferdinandum Franciscum maritum tuum dignissimum, magni animi virum armorum fulgore splendidissimum, qui impigre, strenue, diligenter & fortiter, arduis in bellis pugnando, validissime ferrum strinxit, & magnis in periculis, turbulētisq; armorum fluctibus, militari laude, maiorū præclara facinora imitatus, animose se gessit, accedamus. propter quod ipsius & maiorum erga Aragonum Principum egregiam fidem & merita pedestrium copiarum Præfectus magister & moderator in copiosissimo & quidem ornatissimo numero assumptus est, & quamuis id regendi & imperandi pondus magnū

Prosper Columna Marsiæ Dux.

Mutius Columna.

Ferdinandi Francisci Auali Victoriæ Colūnensis mariti laudes

sit, tñ sua bellica virtute, tanta gloria, tam mirabili ordine, prudentia, modo, solertia, sagacitate, studio authoritate, ac diligenti administratione, idoneis verbis, rationibus, propositis, sententijs & exemplis gubernat & regit, vt omnes sine tumultu aliquo, controuersia, fastidioue teneat. Omnes ei amicissime intendunt, parent, obediunt, ab alienis abstinent, & diligenter & fideliter seruiunt, & si aliquãdo varij & discordes sint, statim velut optimus musicus illorum mentes concordat, conciliat & concinnat, ne ex minimo maximus oriatur error. Hos studiosus & diligens Præfectus sustinet, hos Magister & moderator colit, hos fouet & amat, & non solum se Imperatorem prestat, sed omnibus velut patrem. Verum regendi & gubernandi habet modum, vt militaris regiminis exemplum merito dici possit, quoniam vnico verbo, quo velit, illos deducit & impellit. Nihil in ædibus suis non laudabile conspicitur, in ea preciosa & ornata supellex, & domestici apparatus, ornamenta magnifica, multo ordine & nitore suis locis collocata. Aulea inter alia pulcherrima conspiciuntur ex Flandria aduecta. In suo domestico splendore non solum ad quotidianum vsum, verum ad ad fœstos & solemnes dies. In hoc homine corporis proceritas, capitis honor & decus, venustas, humanitas, grauitas, pietas, liberalitas, abstinentia, in conficiendis

rebus celeritas & iusticia. Splendor, magnitudo, man suetudo, Auitam habet prudentiam, & paternam pro bitatem & alias virtutes, quæ in eo enitescunt. Illust. Vasti Marchio Ferdinandum Franciscum patruelem imitatur, & sequitur. Decora & gloriosa Aualæ hu ius familiæ insignia sunt propter varias affinitates & honoratissimas necessitudines, quas hæc fælix domus Auala cum Diui Thomæ familia & illustribus prin cipibus, varijsq; proceribus sibi coniunxit, grauibus varijsq; figuris & excelsis annotationibus decenter ac commodatis exornantur & illustrantur. Splendet in illis in medio sol, qui in pectore Diui Thomæ effingi solet, diuinitatem quandam & præeminentiam signās Laudaui tuos. Laudaui mariti tui auū. Laudaui patrem sed iste Ferdinandus Franciscus, maritus tuus dignissi mus, non solum par, verum superior illis esse videtur. Veniam peto, si alia multo ma iora mihi incognita non scribo & si quid incultum & minus ela boratum offen deris ignosce.

Vasti Marchio.

FINIS.